



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XI. Asiana Diœcesis ecclesiastica ex undecim provinciis, quarum vna est Asia Proconsularis. Ejus Matropolis, & totius Asianæ, Ephesus. Ponticæ Diœceseos fines. Vicarij sedes, Cæsareæ in Cappadocia. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Sozom. l. 7. c. 7.
 ὁ δὲ ἰσχυρὸς τῆς
 ἀρχῆς ἐπέστησε
 τὸν Νεκτάριον
 ἐπισκοπῆς ἀλεξανδρινῆς.

l. 1. c. Th. de Fide
 Cathol.

Sozom. d. c. ὁ δὲ
 τῆς ἀρχῆς ἐπέστησε
 τὸν Νεκτάριον
 ἐπισκοπῆς ἀλεξανδρινῆς.

Sozom. l. 7. c. 19.
 & 21. Theod. l. 4.
 c. 30.

quod cum emendatæ vitæ fama religioſè ſuis Eccleſiis præſent. Itaque datum eſt, non præcipuè ſedium dignitati, ſed perſonarum gravitati, ut ab iis Episcopis, tanquam à quibuſdam Capitibus, communionis jura manarent per unamquamque Diœceſim. Eò retulit Episcoporum illorum designationem Sozomenus: *Hos enim*, inquit, *& Imperator quoque viſos & coram allocutus approbavit: de quibus & integra conſtabat fama, quòd ſuis Eccleſiis religioſè præſent.* Extat Theodoſij conſtitutio in Codice Theodoſiano, quæ præcipit Episcopos ad Eccleſias obtinendas admitti, ex communionem & conſortio *probabiliſſim Sacerdotum*. Scilicet quos communicare conſtitit Nectario Episcopo Conſtantinopolitanae civitatis, Timotheo Alexandrino in Ægypto; in Oriente, Pelagio Laodicenſi, & Diodoro Tarſenſi; in Aſia Proconſulari & Aſiana Diœceſi, Amphilochio Iconienſi, & Optimo Episcopo Antiochia in Piſidia, in Pontica Diœceſi, Helladio Caſareæ, Otreio Militenæ, & Gregorio Nyſſæ. In Thracica, cum Terentio Scythiæ, & Martyrio Episcopo Martianoſoleos. Abſunt à Codice Theodoſiano verba illa, *In Thracia*. Sed lacunam illam è Sozomeno explevi, ut ſententia non hiarer. Etenim Ægyptiaca, Orientali, Aſiana, & Pontica Diœceſibus enumeratis, ſola ſuperreſt Thracica, cui æquè ac ceteris proſpiciendum erat. Id factum designata communionem duorum Episcoporum, ſcilicet Terentij Scythiæ, & Martyrij Episcopi Martianoſoleos. *Martyrij* enim legendum è Sozomeno, non *Marmarij*, ut habet lex Codicis Theodoſiani. Thracica Diœceſis ſex provinciis conſtabat, Europa, Thracia, Hæmimonto, Rhodope, Mæſia ſecunda, Scythia. Episcopus Tomorum omnibus Eccleſiis Scythiæ præerat, ut reſtantur alibi Sozomenus & Theodoretus. Vnde Terentius Scythiæ Episcopus eleganter dicitur in dicta lege, & rectè à Sozomeno Tomorum Episcopus, Martyrius Martianoſoleos Concilio Conſtantinopolitano ſubſcripſit, ut Mæſiæ Metropolitæ, quæ eſt Mæſia ſecunda, una è ſex provinciis Thraciæ Diœceſis.

X. Inde patet error inſignis Socratis, qui jura communionis per Thraciam decreta fuiſſe Nectario à Synodo & à Principe affirmat; cum ex Sozomeno & legis Theodoſianæ ſerie à nobis reſtituta conſtet jus communionis per Thraciam indultum Terentio Tomenſi & Martyrio Martianoſopolitano; Nectario verò in urbe Conſtantinopolitana, ut quidem Sozomenus exiſtimavit: *Νεκταρίου ἐν Κωνſταντινουπόλει*. Cete-

rùm è verbis legis indefinitè jus illi tribuitur: *Quos conſtabit*, inquit lex, *communione Nectario Episcopo Conſtantinopolitanae Eccleſiæ, Timotheo necnon intra Ægyptum Alexandrinae urbis Episcopo eſſe ſociatos*. Potestas dandæ communionis delata Timotheo Alexandrino coërcetur intra Ægyptum. Sed jus Nectarij Episcopi CP. nullis limitibus circumſcribitur. Ratio eſt in promptu. Quia in eodem Concilio primatus honoris poſt Romanum Episcopum illi collatus eſt. Vnde colligere licet quanta eſſet in hoc communionis jure Romani Pontificis auctoritas, cum ad illius exemplum regie urbis Episcopus, tunc ad ſecundum gradum evectus, privilegio illo per ſolidum Orientem fruereſt, non autem per ſolam Thraciam, eſſi ſpeciali quodam jure in ea Diœceſi auctus eſſet. Expuncto errore illo Socratis, advertenda eſt altera ejus hallucinatio, in eo quòd ſententiam canonis ſecundi cum lege Theodoſij permixcuit, cum tamen multum inter ſe diſſent. Limites Diœceſion à Synodo Nicæna præſcriptos violandos non eſſe, canone conſtituitur. Theodoſij verò lege, in Diœceſibus Episcopi deliguntur ad conſortium communionis, non autem ad jurisdictionem Patriarchalem exercendam. Quod patet ex ipſo legis contextu, ex eòque præcipuè, quòd in Orientali Diœceſi, ſeu in Patriarchatu Antiocheno, Pelagius Laodicenſis & Diodorus Tarſenſis designantur ad communionis vinculum; cum tamen ſupremum auctoritatis apex in Orientali Diœceſi ad Patriarcham Antiochenum pertineat ex canone Nicæno, & ex canone ſecundo Concilij Conſtantinopolitani. Eſſi verò hîc Socrates aberraverit, non utique in pudendum errorem, qui à plerisque illi aſſingitur, prolapsus eſt, quaſi ſcripſerit Patriarchatus inſtitutos fuiſſe à ſecunda Synodo. quo ſenſu, paulò poſt Socratem, Patriarcharum nomen apud auctores eccleſiaſticos invaluit. Etenim cum Secunda Synodus auctoritatem eccleſiaſticam per Diœceſes diſtinctam à Nicæno Concilio repetiverit, & Socrates Diœceſion institutionem non tribuerit Secundæ Synodo, ſed Patriarcharum designationem per unamquamque Diœceſin, evidenter patet de illis Episcopis egiſſe Socratem, à quibus communionis conſortium penderet; præcipuè cum Episcoporum delectum lege Principis confirmatum ſcribat. Paulò poſt ætatem Socratis, Patriarcharum nomen inditum eſt Episcopis qui communionis & auctoritatis principatum in ſuis Diœceſibus tenerent.

XI. Porrò tres illæ Diœceſes, quas ſu-

præ recensui, Patriarchis Alexandrino vel Antiocheno non suberant. Asiatica Diocesis, in Notitia Imperij, decem provinciis constat, quæ Vicario Præfecti prætorio Orientis parebant; scilicet Pamphilia, Lydia, Helleponto, Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria, & Insulis. Artamen in politica ecclesiastica ratione, Asiatica Diocesis undecim provincias complectebatur, teste Theodoro. Quod explicandum est à Theodosij lege, quæ Asiaticam Proconsularem ab Asiatica distinguit, licet eas in unum corpus, quoad statum & communionem ecclesiasticam, cogat. Itaque Asia Proconsulari adjecta ad decem provincias Asiaticæ Dioceseos, conficitur numerus undecim provinciarum ecclesiasticarum à Theodoro designatus. Asia, strictissimè sumpto vocabulo, à Romanis nomen accepit: qui regnum Attali Pergameni sibi testamento delatum cernentes, ditionem illam in provinciæ formam redegerunt; Asiaticamque de continentis nomine appellaverunt, teste Strabone. Ejus administrationi Proconsulem præfecerunt, qui magistratus continuatus est sub Imperio; quamvis statum Asiaticæ Proconsularis Constantinus Magnus immutaverit, ab ea recisus Lydia, Caria, Helleponto, & Cycladibus, quæ in speciale provinciarum nomen transierunt. Vnde factum ut Euphrosinus, cum Asiaticæ recentioris Proconsulatum describeret, à Pergamo & ora maritima in continentem Caria tenus, & ad Tmolium montem ex parte Lydiæ porrexit. Sub Arcadio Helleponto & Insulæ redditæ sunt Proconsulari, ut patet ex Notitia Imperij. Solida Proconsularis Asiaticæ metropolis erat Ephesus; quæ in politica ecclesiastica in Asiaticam Diocesim eandem dignitatem retinuit, teste Chrysostomo. Adeo ut ei jus Patriarchicum tribuat Evagrius, cum scribit Timotheum Aelurum Ecclesiæ Ephesinæ jus Patriarchicum restituisse, quod ei Synodus Chalcedonensis ademerat.

Pontica Diocesis totum tractum à Bithynia usque ad Armeniam, adjecta Galatia, & Cappadocia, complectebatur; & Vicario parebat, quem Gregorius Nazianzenus *πονητικῆς διοικήσεως ὑπαρχον* vocat. In ratione Imperij è provinciis decem conflata erat, sed in dispositione ecclesiastica undecim provinciis constabat, teste Theodoro. cujus discriminis rationem reddimus alibi. Sedes præcipua Vicarij Ponticæ Dioceseos constituta est Cæsarea in Cappadocia. qua in urbe, quæ olim Mazaca, Reges Cappadocum lares fixerant, ut obser-

vat Strabo. Hinc Episcopi Cæsarea dignitas, qui solida Diocesi Ponticæ præerat, teste Nazianzeno. Vnde Basilio conciliatum Archiepiscopi Cæsarea nomen, & Alypio apud Photium. Quare Ponticæ Dioceseos synodum Tyanis sub Eusebio Episcopo Cæsarea celebratam refert Sotomenus, & Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuisse ab Helladio Cæsarea Episcopo. Literæ etiam Basilij extant invitantis ad Synodum Cæsarea habendam *τοῦς τῆς πονητικῆς διοικήσεως Ἐπισκόποις*.

Diocesis Thracica sex provinciis in laterculo Imperij & in Ecclesiæ notitia constabat: in qua, post deletum à Severo Byzantium, præcipuam dignitatem urbs Heracleæ sive Perinthi obtinuit, ut testantur Herodianus & Procopius. Inde quæ situs ejus Episcopo Exarchi Thraciæ titulus; quamvis deinde vis hujus administrationis in urbem regiam uberioribus privilegiis paulatim transcripta sit.

Quare non frustra monui canone Nicæno significari Dioceses Asiaticam, Ponticam, & Thracicam, quæ à tribus Patriarchis non penderent, sed synodis suis commissæ, Exarchos suos comiter colerent: Asiaticam Ephesinum, Ponticam Cæsareensem, Thracicam Heracleensem, deinde Constantinopolitanam. Vnde profectum ut hi tres Exarchi potiorem locum in subscriptionibus & sessionibus Generalium Conciliorum obtinerent. Quod videre est in Concilij Chalcedonensis confessu: qui sic dispositus erat, ut ante cancellos altaris in medio sederent Gloriosissimi Iudices, & amplissimus Senatus. Ab eorum lava, sedebant Legati Romani Pontificis, Anatolius Archiepiscopus Constantinopoleos, Maximus Antiochiæ, Thalassius Cæsarea, Stephanus Ephesi, & ceteri Episcopi Orientalis, Ponticæ, Asiaticæ, & Thracicæ Dioceseos, exceptis Palestinis. Ex quo loco patet Exarchos Dioceseos fuisse, Maximum quidem Antiochenum Orientalis, Thalassium Cæsareensem Ponticæ, Stephanum Ephesinum Asiaticæ, & Anatolium Constantinopolitanum Thracicæ. A parte dextra Indicum confidebant Dioscorus Archiepiscopus Alexandriæ, Juvenalis Hierosolymorum, Quintillus Heracleæ primæ Macedoniae, vices agens Anastasij Thessalonicensis Episcopi, cum reliquis Episcopis Ægyptiacæ Dioceseos, quæ suberat Alexandrino, & Illiricane, quæ à Thessalonicensi Vicario Romani Pontificis regebatur. Ad hunc enim Anastasium elegantem illam epistolam decretalem dedit Leo Primus, quæ

Strabol. 11.

Photius in Bibl. Mem. 57. Synod. 1. 6. c. 11. l. 9. c. 6.

Basilij ep. 291. & 256.

Herod. in Severo Procop. l. 4. de Ædific. lult.

A. D. 1. Concil. Chalced. 78. τῆς τῆς Ἀνατολῆς καὶ τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιατικῆς καὶ τῆς Θρακικῆς καὶ τῆς Παλαιστίνης.

Theod. l. 1. c. 18. de Asiaticæ Dioc. c. 1. de Insulis. l. 1. c. 11. de Fid. Cathol.

Strabol. 11. c. 11. ἡμεῖς τὸν ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιατικῆς καὶ τῆς Θρακικῆς καὶ τῆς Παλαιστίνης.

Chrysost. in ep. ad Ephesios. Evagri. l. 1. c. 15. τῆς πονητικῆς διοικήσεως ὑπαρχον.

Gregor. Naz. De laudibus Basilij.

l. 1. c. 9.



roties laudatur. Aderant præterea in hoc latere Palæstini Episcopi, quos ab Orientali Diœcesi distractos Episcopus Hierosolymorum sibi asserebat. Ceterum Thracica Diœcesis jam tum à Constantinopolitano Episcopo pendebat, depulso Heracleensi. Quod per consequentiam è privilegio Primatus in ea Diœcesi facile invaluit, ad cuius synodum Constantinopolitana Ecclesia pertinebat. Quod in fraudem impulit Socratem, cum jura communionis per Thraciam Nectario tributa fuisse scripsit. Huc alludit epistola Marciani Imperatoris; qua præcipit Anatolio, ut accedat ad Concilium Chalcedonense unâ cum Episcopis sub sacerdotij sui cura constitutis, id est, cum Episcopis Thraciæ Diœceseos, quod ideo monui, ut ab inquisitione horum Episcoporum viri eruditi cessarent.

Idem sessionum ordo in superioribus Conciliis obtinuerat. Etenim in Synodo Ephesina, cui præfuit Cyrillus, post Iuvenalem Hierosolymorum sedent Memnon Ephesi, Flavianus Philipporum vicarius Ruffi Theſsalonicensis Episcopi, Firmus Cæsareæ Cappadociæ, & Theodotus An-cyræ. quamvis alibi, per errorem scriptoris, Theodotus antecedit. sed sententiæ latae contra Nestorium post Firmum subscripsit. In Ephesino Concilio sub Dioscoro, post priores Patriarchas sedent, & censent, Stephanus Ephesi, & Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ. Quare videtur dubitandum non esse quin Diœcesionem Exarchi canone 11. CP. commemorati Episcopos Ephesi, Cæsareæ, & CP. adjecto Heracleensi, complectantur. Id ex eo valde juvatur, quod in Concilio Chalcedonensi Iudices unicuique Diœcesi Orientalis Imperij suum Patriarcham assignant. Non eo tamen inficias quin pötiori jure in Diœceses suas tres illi eximij Patriarchæ uterentur; ita ut sola synodorum universa Diœceseos indictio, & Concilij *ægedela*, Exarchis ceteris competitivisse videatur. Quæ ratio componendæ contentions quæ viros eruditissimos etiam in hoc capite colliſit, non aliena à vero mihi esse videtur; atque adeo novis quibusdam argumentis hanc disputationem illustrandam censui. Ceterum transcripto Heracleensis Episcopi jure in Constantinopolitanum, duo reliqui Exarchi ab auctoritate sua dejecti sunt, cum sedes Constantinopolitana in Patriarchicam dignitatem evecta, trium istarum Diœcesionum administrationem liberam decreto Concilij Chalcedonensis obtinuit. Quæ immutatio effecit ut Orientales Ecclesiæ, quæ per quinque Diœceses porre-

ctæ erant, Ægypti, Orientis, Ponticæ, Asiæ, & Thraciæ, ad tres redactæ fuerint, scilicet Ægypti, Orientis, & Bosphori seu Thraciæ, id est, Constantinopoleos, apud Theodoretum, qui post Concilium Chalcedonense historiam scripsit.

XII. Sed ut repetam quæstionem initio propositam, non dissimulanda est insignis difficultas, quæ nostram sententiam videtur impugnare, in eo quod tres illos præcipuos Orbis Episcopos, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ, quoad jus Patriarchicum inter se componi canone Nicæno contendit. Nodus in eo versatur, quod Alexandrini Episcopi auctoritas in ordinandis omnibus Ægypti Episcopis adversus Metletianos hoc canone constituta sit; ut farentur omnes eruditi, & egregiè probatur ex epistola synodica Concilij. Porro jure illo ordinandorum Episcoporum usum non fuisse Romanum Pontificem per omnes Occidentis provincias adeo certum est ut nec ipsorum Metropolitanarum ordinationem in plerisque provinciis sibi vindicavit. Ut explicatior sit hujus quæstionis enodatio, constituendi prius sunt Romanæ metropoleos fines. Neque enim existimo Ruffini ætate regionibus illis suburbicariis ad centesimum usque lapidem fuisse circumscriptos. Verat namque Notitia illa Vaticana vetus, quæ sexaginta novem episcopatus, ex quibus Romana provincia conflata erat, nobis exhibet; qui quidem non solum Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem ad Sinuessam, Marfos seu Valerianam, Picenum, & Tusciam suburbicariam complectebantur, sed etiam Tusciam annonariam, Vmbriam, & Picenum annonarium; quas regiones Notitia illa vetus, barbara voce Marchiam Vmbriæ indiget, Marchiæ nomine utrumque Picenum comprehendendo. Fundus hujus meæ sententiæ est insignis locus epistolæ synodicæ Concilij Sardicensis, & alter Athanasij, ubi earum provinciarum Episcopi, qui Athanasio communicabant, recensentur, scilicet Romæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, & ceterarum per Occidentem & Orientem provinciarum. Non poterant liquidius Romanæ provinciæ limites circumſcribi, qui ei à Vaticana Notitia tribuuntur. Italia hinc eam coërcet, inde Campania felix, & Capuana. Porro Italia, cujus metropolis erat civitas Mediolani, complectebatur eas provincias quæ Vicario Italiæ parebant, & porrigebantur usque ad Tusciæ annonariæ, Vmbriæ, & Piceni fines; ut docuit vir eruditissimus Pater Sirmondus. Campania verò, cujus metropolis

Part. 1. Conc. Chalced. c. 37. 016. *ἐκ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν τῷ αἰγύπτῳ καὶ τῆς ἐν ὀρίαντι καὶ τῆς ἐν βοσφῶνι καὶ τῆς ἐν θρακίᾳ.*

Syn. Ephes. T. 1. c. 1. editionis Patrum T. 1. c. 1. T. 1. c. 10. & 11.

Concil. Chalced. Act. 10.

Locus laudatus est §. 5. hujus capituli.

Theod. lib. 1. c. 14. Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communicare volebantur.

Vide lib. 6. cap. 4. §. 6.

Exstat apud Card. Baron. an. 1037.

Athanas. ep. ad Solim. vii. ager. tot.